

SCEPTORVM
ORIGINEM

ET

RATIONEM SYMBOLICAM

E

SACRIS EBRAEORVM
MONVMENTIS

MAXIME EX

EZECHIEL. c. XIX. comm. 10. sqq.

DECLARAVNT

PRAESES

ERNESTVS FRIDERICVS COBIVS

L. L. A. A. MAGISTER

ET

RESPONDENS

MICHAEL HENRICVS COBIVS

S. S. THEOL. CVLTOR ET PHIL. CANDID.

EISFELDA-FRANCI

FRATRES GERMANI

AD DIEM

APRILIS

IN AVDITORIO MINORI.

VITTEMBERGAE

PRELO SCHROEDERIANO ACAD. TYP

a. XXI. 28.

Coll. diss. A
21, 28

~~29.~~

SCHEFFELT RORWA

ORIGINE

ET

RATIONEM STIMULAM

SACRIS FERRE

MONUMENTIS

MELITE

RECHTE

RECHTE



EXISTIS FR

LA

RESPONDENS

IN

RECHTE

RECHTE

GERMANI

RECHTE

IN ADITORIO MINORI

RECHTE

RECHTE

1771

SCEPTRORUM *Originem*, pariter atque *rationem symboli-*
cam, dum è Sacris Ebraeorum monumentis pandere fuscipi-
 pio, ipsa instituti mei ratio requirit, vt tum etymologica
 istius vocabuli euolutione, tum succincta commemoratio-
 ne eorum, quae *generatim* ad historiam Sceptrorum spe-
 ctare, maximeque scopo nostro subseruire posse, videbantur, adi-
 tum mihi ad ipsam rei arcem struam. Ad vocabulum SCEPTRUM
 itaque, quod antiquitus etiam, teste *Varrone* a) SCAEPTRUM scri-
 bi solebat, quantum attinet, illius natales plerique, tum antiquiores,
 tum nostrae etiam aetatis, Critici referunt ad Graecorum idioma,
 speciatimque ad verbum in eo adhuc superstes, σκήπτω vel σκηρίπω,
 vnde formatum σκήπτρον proprie notare volunt baculum, cui quis
 innitatur. Ita praeter alios HESYCHIUS censet: σκήπτρον, inquit,
 κυρίας μὲν πᾶσα ῥάβδος ἀπὸ τῆς σκηρίπιδαι ἐπ' αὐτῆ, ὅ ἐστιν ἐπὶ σκείδε-
 δαι, καὶ τὸ βασιλικὸν δὲ σύμβολον. Etsi vero huic originationi vet
 propterea morosius repugnare nolim, quod HOMERUS Agamem-
 nona sceptro suo innixum celeria verba aliquando protulisse perhi-
 beat, b) hincque adeo satis clare constet, Sceptra olim longiora, at-
 que ad innitendum iisdem, accomodata fuisse, parum tamen abest,
 quin in illorum potius opinionem propendeam, qui tam Gr. σκήπ-
 τρον quam Lat. *Sceptrum*, ab Ebraeorum טַבָּטָא, aut Chald. vel Syr. נֹבַח
 factum esse arbitrantur, ita quidem, ut elementum (κ) post (σ) per-
 inde ut in μεθύσκω, quod pro μεθύσω dicitur, itemque in *scirpus*,
 quod pro *sirpus* ponitur, & id genus aliis, otiose insertum, ρον vero
 in fine, formationis caussa, adiectum putent. Nam cum ipsum Sce-
 ptrorum vsum Symbolicum, ab *Orientis* populis, vtpote primis, ceu
 ego existimauerim, huius symboli auctoribus, Graeci accepisse vi-
 deantur; nihil tam verosimile est, quam quod cum insigni, ipsam
 quoque eius appellationem, in Oriente usitatam, insimul ad se tran-
 stulerint, & quod in aliis peregrinis vocibus, obseruante CASAU-
 BONO, facere amabant, ita deinceps informauerint, ut Graecam
 plane originem ista referret. Verum, quomodocunque etiam, de ori-
 ginatione illius vocabuli, res existimetur, id quidem certum est, quod

A 2

Graec.

a) de *Lingu. Lat.* l. VI. p. 109. b) *Iliad.* β'. v. 109.

Graec. *σκηπτρον*, aequae ac Ebr. *טבש*, proprie, *scipionem oblongum, acuminatum & hastae non absimilem* designet. Confirmat hoc ipsum JUSTINUS c) quando de *Numitoris* aetate verba faciens: *Per ea, inquit, adhuc tempora Reges hastas pro diademate habebant, quas Graeci sceptrum dixere.* Nimirum hastas ille intelligit non *praepilatas ferro*, quae militare instrumentum sunt, sed *puras*, ut vocant, hoc est, ferro non praefixas, cuiusmodi hastis, perhibente SERVIO, d) apud Romanos illi donari solebant, qui primum in praelio vicissent. Atque huc spectat illud VIRGILII: e)

Ille, vides, pura iuuenis qui nititur hasta.

Ex quibus uti abunde constare arbitror, Sceptrorum figuram olim oblongam et acuminatam fuisse, ita illud etiam probe tenendum est, quod ipsa *hastae* nomenclatura, uti et *baculi* et *virgae* nec non Graec. *βακτηρας* et *πάβδς* notiones pro *Sceptri* vocabulo haud raro a Scriptoribus tanquam synonyma usurpari soleant.

§. 2. Quanta *Sceptrorum*, prae reliquis supremae maiestatis insignibus, dignatio sit, et quantum his ipsis, antiquitatis laude, illa antistent, vel ex eo apparet, quod *Pagani Veteres*, Deos suos, quos constat, magnam partem, antiquissimorum temporum Heroas fuisse, hoc potissimum sub symbolo venerari, eorundemque simulacra Sceptris exornare voluerint. Testor, hanc in rem, cum primis, JUSTINI fidem, qui cum hastas, Sceptra, a Graecis appellari monuisset, mox subdit: f) *Nam et ab origine rerum pro Diis immortalibus Veteres hastas coluere, ob cuius religionis memoriam adhuc Deorum simulacris hastae adduntur.* Exempli loco, quo haec *Iustini* dicta confirmantur, iam nunc producere liceat Sceptrum JOVIS Saturnii, quod Mythologi Scriptores, speciatimque HOMERUS g) a Vulcano fabricatum ac *Jovi* traditum, ab hoc vero *Mercurio*, a Mercurio deinde *Pelopi* relictum, denique ab isto per variorum manus ad *Agamemnona* translatum fuisse, fabulantur. Cupressinum fuisse hoc Sceptrum, HERMIPPUS apud *Laertium* h) ut et JAMBLICHUS i) tradunt. PAUSANIAS vero, qui, omnium metallorum varietate, illud, distinctum, vocat, k) alibi l) etiam commemorat, quod *Chaeronenses* hoc ipsum Jouis Sceptrum, in Panopensium finibus for-

c) L. XLIII. c. 3. d) ad Virg. *Aeneid.* L. VI. v. 760. conf. *Plin.* H. N. l. VII. c. 28. e) *Aeneid.* L. VI. p. 760. (f) *loc. cit.* g) *Iliad.* β' v. 101. sqq. h) de *Vit. Philos.* L. VIII. Segm. 10. Conf. *Aldobr.* et *Menag.* ad h. l. i) de *Vita Pythag.* C. XXVIII. k) In *Eliac.* p. m. 306. l) In *Boeot.* p. 606. sq.

te repertum, Deorum omnium maxime coluerint, *Deorum hastam* illud nominantes. Similem plane idololatriam, inter suos, CENAEVS etiam inuexit, utpote quem, hastam pro Numine venerandam in fori meditullio erexisse, praeter alios EUSTATHIVS *m)* docet. Ad simulacra autem Deorum, *Sceptra* vel *Hastis* armata, quod attinet, ex ingenti istorum, quae nobismet occurrit copia, tantum PROMETHEI, PRIAPI, IUNONIS, CYBELES, AESCVLAPII statuas atque effigies, heic nominasse sufficiat, quae omnes, Sceptra aut baculis instructae atque exornatae, quondam comparebant. Addi his poterit, quod *Aegyptii* quoque PLVTARCHO *n)* teste OSIRIN suis in Hieroglyphicis per *Sceptrum* et *oculum* ei superimpositum expresserint, scepro, uti MACROBIVS *o)* censet, eius imperium, et quod regali potestate cuncta despiciat, indigitantes. Ita etiam in *Mythologorum* scriptis, Gentilium Deos passim cum Sceptra introduci reperias. AEOLVM sic in celsa arce sedentem, Sceptrum tenentem, animosque ac iras temperantem VIRGILIVS *p)* inducit. Similiter AEACVM atque RHADAMANTYN, Inferorum Iudices, dum defunctorum animas iudicent, baculos manu tenere, et huic iudicio MINOA praeesse, sedentem, et aureo Sceptro instructum, praeter Homerum, PLATO *q)* fabulatur; ut plura Deorum eiusmodi *σκηπη/σχων* exempla, quae tum in *Mythologorum* scriptis, tum quoque in nummis antiquis, qui hodiernum adhuc in Principum Gazophylaciis asseruantur, comparent, silentio iam nunc praeteream.

§. 3. Quo antiquior autem illustriorque *Sceptrorum* usus existit, eo quoque latius per orbem terrarum ille propagatus est, ut non temere ulla gens iam olim fuerit reperta, quae inter Regiae suppellectilis instrumenta *Sceptrum* non numerauerit. Et ad orientis quidem populos quod attinet, de *Persarum* Regibus, figillatimque AHASVERO relatum in Sacris paginis *r)* legimus, quod folio regio insidens *Sceptrum aureum* dextra tenuerit, eodemque inclinato, gratiam suam fauoremque, accedentibus ad ipsum, fuerit testatus. Ita etiam in diuini Codice *s)* mentio iniicitur *תומכי שבת* i. e. *Sceptrigerorum* in *Beth. Eden* et *Ascalon*, quo titulo harum rerum publicarum Regulos vel summos Imperantes indigitari KIMCHIVS existimat, et

A 3

hac

m) ad *Iliad.* α.

n) T. II. oper. p. m. 354.

o) *Saturnal.* L. I. c. XXI.

p) *Aeneid.* L. I. v. 61.

q) In *Georgia* p. m. 333. Conf. id. in *Minoe* p. 510.

r) *Esth.* c. IV, 11. V, 2. VIII, 4.

s) *Amos.* c. I, 5. 8.

hac in re PARAPHR. CHALD. SYR. VULG. RASCHIVM aliosque consentientes habet. Imo nec ipsos *Ebraeorum* Reges hoc insigni caruisse, vel inde patet, quia a *Psalte regio t) Messiae*, ipsius in regno, sed meliori, successori in supremæ dignitatis, potestatisque symbolum, *Sceptrum* metaphorice assignatur. Speciatius de SALOMONE *R. Huna u)* tradit, quod post ipsum in folio sedentem pependerit *Sceptrum aureum*, in cuius summitate fuerit columba, quæ coronam auream ore tenuerit. Ab *Ebraeis* ad *Syros* si progrediamur, et horum Reges præter stolam, *Sceptrum* quoque pro diademate habuisse, memoriae proditum deprehendimus. Similiter *Aethiopum* Reges Sceptro quondam utebantur, quod teste DIODORO SICVLO *x)* τύπον ἀροτροειδῆ, figuram aratri referebat. *Aethiopibus Numidis* Reges associandi sunt, quibus candida in fronte vitta, et in sinistra *Sceptrum* pro regalibus insignibus erant. *y)* Maxime uero apud *GRAECOS* istius insignis usus viguit, siquidem HOMERVS non tantum AGAMEMNONI *z)* Sceptrum attribuit, sed et omnes Reges, qui expeditioni Troianæ interfuerunt, *Sceptringerorum* cognomento aliquando *a)* condecorat, eadem prorsus ratione, atque TACITVS *b)* Barbarorum Reges *Sceptruckos* i. e. Sceptringeros salutavit. A *Graecis*, hac in parte, neque *Siculi* diffidebant, quorum Reges in maiestatis suæ indicium præter vestem purpuream, *argenteum* quoque gestabant *baculum*. *c)* Ita et inter *PRIAMI*, Troianorum Regis, insignia, quibus instructus iura vocatis dabat populis, Sceptrum identidem VIRGILIVS *d)* enumerat. Qui ipse etiam Vates alibi *LATINVM Laurentum* Regem in Italia per Sceptrum suum, quod nunquam repullulaturum sit, postquam ima de arboris stirpe recisum, artificis manu aere decoro inclusum, et *Patribus Latinis* gestandum permissum fuerit, iurantem foedusque cum *Aenea* pangentem inducit. *e)* Quo de iureiurando ex *ARISTOTELE* *f)* hoc loco annotare iuuabit, illud sceptri sublatione olim peragi solitum, et Heroicis cum primis temporibus maximopere frequentatum fuisse. De *Romanorum* insuper Regibus *DIONYSII HALICARNASS.* *g)* testimonio constat, quod *TARQUINIUS* transmissa sibi ab *Etruscis* insignia regia, quibus et ipsi suos Reges ornare so-

t) *Psalms*. XLV, 7. u) in *Bamidbar rabba* f. 250. 1. x) *Bibl. Hist.* L. IV. c. I.
y) vid. *Alex. ab Alex. Dier. Gen.* L. I. c. 28. z) *Iliad.* β' v. 109. a) *Iliad.*
β' v. 86. b) *Annal.* L. VI. c. 33. c) vid. *Alex. ab Alex.* l. c. d) *Ae-*
neid. L. VII. v. 247. e) l. c. L. XII. v. 205, sqq. f) *Polit.* L. III. c. 14.
g) *Rom. Antiquit.* L. III. c. XI.

solebant, coronam sc, auream, et sceptrum eburneum in summitate aquilam habens, pariter atque ipsius successores gestare consueverint. Sic etiam de populo Romano *idem Scriptor* *b)* insimul memoriae prodidit, quod exterorum Regum potestatem confirmaturi, sceptrum et diademata iisdem mittere, in more habuerint. Denique si ad nostra usque tempora descendere velimus, id cum primis de GALLIAE, ANGLIAEque regnis notatu dignum occurrit, *i)* quod inter insignia regalia praeter Sceptrum, *baculum* quoque numerent, qui penes Gallos a manu eburnea, *manus iustitiae* vocatur; apud Anglos vero in summitate sua columbae effigiem exprimit. Qui baculos sceptris associandi mos, in aliis etiam regnis vsitatus, inde ab illis temporibus, quibus Sceptrum abbreviari, atque aliam a pristina figuram induere coeperunt, mihi quidem repetendus esse videtur.

§. 4. Neque vero hos intra limites *Sceptrorum* vsus quondam subsistebat, vt tantum regiae maiestatis Insigne illa constituerent, sed ulterius quoque ad *Principes, Ducesque Belli*, nec non *Iudices et Magistratus* extendebatur, vtpote qui similiter Sceptris vel Scipionibus, significandae dignitatis officique sui causa, haud raro utebantur. Et ab Ebraeorum quidem gente vt dicendi initium capiam, IEHVDAE baculus, quo instructus ille *Tinnatham* sese contulit, *k)* PROCOPIO, R. MOS. B. NACHM. R. BECHAI, aliisque non tam manus fulcimentum, quam Ducalis, qua eminebat, dignitatis symbolum fuisse videtur. Neque forsan immerito: quoniam ex consilio *Thamarae*, illum in pignus debitae sibi, pro concessa corporis, sui usura, mercedis, una cum ipsius annulo signatorio et sudario poscentis, facile apparet, non vilem baculum et viatorium, sed omnino talem istum fuisse, quo *Iudam* aliquando criminis admissi coram toto populo conuincere posset. Euidencior multo res est de MOSES baculo, quem a pedo pastorali in *Principalis dignitatis* symbolum a *Summo Numine* conuersum fuisse, vel inde conficitur, quia ipsum Deus a *Mose*, quotiescunque demandatas sibi Ducis partes, siue in percutiendis Aegyptiis, siue in mari rubro diuidendo, siue in aqua e rupe elicienda s. alias peragere debebat, fere semper instrumenti loco adhiberi voluit. Ita quoque *Phylarchorum* de sacerdotio inter se contendentium *מטות* s. *baculos* coram arca testimonii iussu Dei repositos, non ramos ex arboribus recens excisos, neque etiam scipiones

b) *loc. cit.*

i) Vid. *Carol. du Fresne* in *Gloss. Lat. ad voc. Bacul. et Sceptr.*

k) *Gen. c. XXXVIII, 19.*

piones viatorios, sed Principalis dignitatis insignia fuisse multi l) nec sine causa arbitrantur. Poteram plura ex *Ebraeorum* gente, Principum sceptrigerorum exempla afferre, sed breuitatis studio, missis illis, ad *Bosphoranos* s. *Camaritas* me confero, de quibus *S T R A B O m)* narrat, quod regantur a sic dictis *Sceptrigeris*, qui et ipsi Tyrannorum vel Regum imperio subiecti sint. Sic idem ille Auctor de *COLCHIDE n)* perhibet, eam post *Iasonis* expeditionem in varias *σηπτιχίας* h. e. *provincias* s. *praefecturas*, cui nempe *σηπτιχιοι* praeerant, diuisam fuisse. Ad *Imperatores* autem *bellicos* quod spectat, illos quoque Sceptrigerorum ordini accensendos esse, *Scholias* *Homeri, o)* indicat: *σημειωτέον* inquiens, *ὅτι ἕκαστος τῶν ἡγεμόνων σηπτιχρον εἶχεν ἰδίον*, in cuius rei exemplum *ACHILLEM* allegat, cui sceptrum ab Homero attribuatur. Describit vero hic ipse Poëta *p)* *Achillis* sceptrum tanquam ligneum et aureis clavis transfixum. Et alibi *q)* eundem *Pelidem* per Sceptrum suum, a stirpe recisum et ferro vndique delibratum, quodque folia ac frondes nunquam producturum sit, iurantem sistit. Sed et *Iudicum*, eorumque, qui Magistratus vicem gerunt, insigne, Sceptrum quondam fuisse, ex eodem *Homeri* loco patet, vbi Achilles per Sceptrum iurans, illud *filios Achiuorum* in manu gestare *Iudices*, quique leges a Ioue custodiant, inter alia perhibet. Sigillatim in decem tribunalibus, quae Athenis erant, teste *Scholias* *Aristophanis r)* et *Suida, s)* baculus, qui, pro tribunalium istorum diuersitate vario colore signatus erat, tam proprium ac peculiare *Iudicatus* symbolum erat, vt, qui forte electus Iudex esset, non solum cum baculo a Praecone accepto, munus quoque suum capefferet, sed et cognita causa, cui diiudicandae destinatus erat, eundem in depositi officii signum, Praeconi reddere deberet. Memorabile praeterea, et cum primis notandum est, quod de *Conclau* *Gazith*, ubi Synedrium magnum Iudaeorum confidebat, *GALATINVS t)* et *CVNAEVS u)* commemorant, Sceptrum nim. in ipsius medio fuisse suspensum. Hoc enim nonnulli *x)* illustrando oraculo Iacobaeo, quo Sceptrum a Iuda ante Messiae aduentum non ablatum iri praedicitur, apprime conducere arbitrantur.

§. 5.

- l) e. g. *Dieteric*, in *Antiqq. Bibi.* ad *Eccles. II. 4. 5.* *Vrsin.* in *Arbor. Bibl.* c. XXXI. *Gerhard.* in annot. ad *Ebr. XI. 4.* *Menoch.* de *Republ. Ebr. L. I. c. 44.* m) *Rer. Geogr.* p. m. 759. n) l. c. L. XI. p. 762. o) ad *Iliad. δ' v. 218.* sqq. p) *Iliad. α' v. 245.* q) l. c. v. 235. r) In *Plutum.* s) In *Lex.* ad voc. *Βακτριχία.* t) de *Arcau. Cathol. Verit. L. IV. c. 5.* u) de *Republ. Ebr. C. IX.* x) Vid. *Carpzov.* in not. ad *Schick, Jus reg.* p. 12.

§. 5. Sed neque rerum diuinarum *Antistites*, et Sacro qui Or-
dini adscripti sunt, a Sceptrigerorum numero excludendi videntur,
siquidem & illos similiter Sceptrum vel baculum, in dignitatis suae mu-
nerisque, quod sustinebant, significationem, passim circumferre soli-
tos fuisse comperimus. Ita *Chrysen* Sacerdotem HOMERVS y) non
simplici vice cum corona Apollinis, iuxta et Sceptro aureo, in publi-
cum prodeuntem repraesentat. Similiter apud *Aethiopes* pariter at-
que *Aegyptios*, Sacerdotes, teste DIODORO SICVLO, z) eodem
atque ipsorum Reges, Sceptro, quod nempe aratri figuram refere-
bat, instructi, ad Deorum suorum cultum accedebant. Iungi his
merentur Graecorum Vates vel *Θεομάντιες*, quibus Sceptrum, quod
ἰθυντήριον vocabatur, et iuxta HESYCHII descriptionem *σκήπτρον*
ἀπὸ δάφνης, Sceptrum e lauru desumptum erat, secum insignis loco
circumferre solenne erat. Ab *ἰθυντήριος* forsan non multum diffe-
rebant *ἄσκαοι* Magorum baculi, qui, ceu idem HESYCHIVS eos
describit, erant *κλάδοι τῆς δάφνης, ἧς κατέχοντες ὕμνον τῆς θεῆς, ῥα-
μι laurei, quos hymnum canentes Deo praeferebant.* Ad Romanos
porro si progrediamur *lituus*, clarissimum illud, uti a CICERO-
NE a) nominatur, auguratus insigne nobismet occurrit, qui eodem
describente Cicerone, *in curuum et leuiter a summo inflexum bacil-
lum erat, quod ab eius litui, quo canitur, similitudine nomen inuenit.*
Denique Antistitum Christianae Ecclesiae mentio cum primis heic
iniicienda est. De hisce enim constat, quod iam multis abhinc se-
culis tam apud *Romanenses*, quam *Graecos*, in regiminis Ecclesiastici
symbolum, *baculo*, vt vocant, *pastorali*, cuius originem ad ipsa na-
scentis Ecclesiae primordia referunt, vti consueuerint. Quo qui-
dem de baculo pastorali, qui et *camboca*, itemque *pedum*, ac *virga*
pastoralis subinde nuncupari solet, cum alii ex instituto egerint; plu-
ra a nobis impraesentarium de eodem addi, omnino superuacane-
um iudicamus.

§. 6. His, quae ad Sceptrorum historiam maxime pertinere
videbantur, rite praestructis, ad id, quod res est, originis scil. isto-
rum ac rationis symbolicae declarationem, ex Ezech. c. XIX. cum-
primis instituendam nos accingimus. Cum vero res omnis heic pen-
deat ab accuratiori euolutione vocum *הטט* et *טטט*, quae, isto in Ora-
culo, occurrunt, et praeter alios significatus, Sceptri quoque notio-
nem sustinent; operae omnino pretium erit ante omnia, in natium

B

et

y) *Iliad* ἔ v. 9. et 106. z) *In Bibl. Hist.* L. p. m. 176. a) *de Diuin.* L. l. c. 71.

et primarium earundem significatum inquirere, et hoc ostenso porro demonstrare, quomodo ex eo reliqui deinceps promanauerint. De vocabulo *מטה* igitur, ut dicere exordiar, hoc cum a rad. *מטה* in sensu *inclinandi extendendi*, maxime *in obliquum et transuersum* vsitata descendat, eiusdemque Verbi *Participium Hiphil* constituat, quae Coniugatio actiuam *קל Kal* significationem, quae immediata est, in mediatam plerumque conuertit, generatim quidem ac formaliter rem quamcunque, quae ope alterius rei intermediae, aliquid extendit, applicata vero ad arborem, illius *ramos*, non quoscunque, sed tantum maiores, qui scil. ex ipso arboris stipite surgunt, et tum ramos minores a se extendunt, tum per hos ipsos ramos minores, frondes ac folia mediate producant, proprio ac primario suo significato indigitat. Miror hanc notationem a Lexicographis fere omnibus omissam fuisse, cum tamen *Ezechiel* Vates *b)* sub eadem vocabulum istud, satis manifesto, vsurpauerit, quando, nimirum, repraesentat, vitem, atque eidem *מטה ענ* fuisse dicit. Nam quo pacto nomen *מטה* hoc loco aliter, quam per *ramos* exponi possit, ego quidem non perspicio. Eosdemque ramos, quando Idem Vates, insuper, addito epitheto *ענ robustos* s. *validos* vocat, illud insimul, quod, paullo ante, asserueram, ramos nimirum maiores et ex ipso stipite surgentes voce ista proprie designari, hinc confirmatur; siquidem, quo quisque ramus trunco arboris propior est, eo quoque validiorem illum esse constat. Quemadmodum vero *medius* arboris *ramus*, qui recto ordine ex arbore affurgit, omnium densissimus esse solet, et cum stipitis continuati speciem praeferat, ramorum collateralium veluti parens esse videtur, ita etiam *מטה בר* hac ille insignitur appellatione, atque ab *Ezechiele* hoc loco *c)* notanter vocatur *מטה בר* i. e. *ramus extensor ramorum eius solitariorum* h. e. collateralium, vtpote qui ab arbore quasi separati ac seorsim constituti sunt. Idem, quod de vocabulo *מטה* iam nunc monui, etiam de Synonymo ipsi per omnia *מטה* tenendum est, eius sc. primariam notionem pariter *ramum* esse. Et quidem cum a themate *מטה* apud Ebraeos equidem deperdito, sed Syris et Arabibus adhuc vsitato, quod *extendere, producere*, nim. *in longitudinem* designat, vox illa prouenerit, facile hinc intelligitur, *ramum* proprie *oblongum, ordine recti lineo protensum et in virgulam attenuatum* s. *cuspidatum* eadem indigitari. Hoc autem praesupposito porro consequitur, quod

b) C. XIX. comm. 16.

c) comm. 14.

quod iidem arboris rami, quos vocabulum **מטה** denotat; maiores nempe et ab ipso stipite prodeuntes pariter voce **שבט** vtut diuerso respectu designentur. Scilicet rami isti maiores **מטה** vocantur, qua parte spissi sunt et in minores ramos a latere constitutos extenduntur; sed quatenus iidem in sublime assurgunt, prolongantur, et in virgam rectilineam fastigiantur, eatenus **שבטי** deinceps appellantur. Vel vt clarius animi sensa exprimam, vocabulum **מטה** proprie partem ramorum *inferiorem ac robustiorem*, unde alii minores succrescunt; **שבט** vero partem eorum *superiorem*, speciatimque *virgulam supremam vel fastigium*, in quod recta linea assurgunt, denotat.

§. 7. Ab hocce *rami* significato, deinceps *tribus* notio, quae iisdem vocibus similiter competit, veluti a fonte riuulus promanauit. Ad quod ipsum cum plerique Philologorum parum attendere, ad ieiunas, haud raro, atque ridiculas huius notionis causas, dilapsi sunt. Lepidam, imprimis, rationem, MARC. MARIN. BRIX. d) suppeditat, quando tribus Israelis, **מטה** et **שבטי** i. e. baculorum appellationem hinc tulisse arbitratur, quod Iacobum consenescentem baculorum instar, eadem sustentauerint. Sapientiores hoc, aliquanto, AVENARIUS, FOERSTERUS, SCHINDLERUS e) aliique eandem huius notionis causam in vtroque nomine agnoscere nolunt, sed tribus Israeliticas **שבטי** a similitudine ramorum, vel virgarum, quarum ad instar ex una stirpe, nempe Iacobo istae succreuerint, **מטה** vero a *Phylarchorum* baculis, tribuum nomine signatis, et coram arca foederis repositis, f) dictas fuisse contendunt. Alio, plane, ab his, ac inuerso modo, GVSSETIVS g) incedit si quidem ille in vocabulo **מטה**, quidem, impropriam tribus notionem, a proprio significato rami profluxisse statuit, sed ad **שבט** quod attinet, aliam istius significatus causam comminiscitur, et ad cognatum verbum **שפט** *iudicare* sese recipiens, tribus Israelis a peculiari regiminis forma, qua vnaquaeque istarum gauisa sit, hoc nomine, appellatas fuisse censet. At enim vero plane non erat, cur Viri hi Doctissimi diuersas notionis istius causas in duobus illis nominibus statuerent, cum vtrumque a proprio *rami* significato, vtpote quem istis ex aequo competere, supra ostendimus ad designandam *tribum*, ob mutuam nempe, quae tribus inter

B 2 at-

d) in *Arce Noae* T. I. f. 372. T. II. f. 193. e) In *Lexicis suis Ebr.* ad has voces.

f) Num. XVII. 2. 3. g) In *Comment. Lingu. S.* ad voc. **שבט** et **מטה**.

atque ramos, ratione geniturae, et ortus, ex vna stirpe, intercedit, similitudinem, traductum fuisse, tam planum esse existimem, vt nulla amplius dubitandi ratio superesse possit. Nimirum, vti hodieque adhuc diuersarum familiarum ab vna communi stirpe descendenti-um, propagines variae, omnium commodissime, *arboris* sub sche-mate, repraesentari solent: ita iam olim, et multis retro seculis, apud Ebraeos idem more receptum fuisse, EZECHIEL, luculento exemplo, eommonstrat, siquidem, ille, per *vitem*, quam hoc loco depingit, nihil aliud, atque totius populi Iudaici congeriem, et complexum; per ipsius ramos autem, quos ad sceptrum dominantium vsque validos fuisse dicit, varias istius gentis a communi stirpe, nim. *Iuda*, per diuersos progenitores deductas propagines, vel tribus, ad-umbrare, quodque eadem istae amplae ac numerosissimae fuerint, ita, vt quaelibet notam sub Principum suorum regimine, rempubli-cam constituere potuerint, mea quidem sententia, indigitare voluit. Sic parem etiam in modum Idem Propheta non tantum alibi *b) po-pulum Israeliticum* cum *cedro Libani* comparat, cuius summum api-cem, i. e. ipsum Regem, IECHONIAM, *Nebucadnezar*, quem aquilae sub imagine sistit, abstulerit, et suam in terram secum deporta-uerit; sed et *Assyriorum* vel, vt alii volunt, *Aegyptiorum*, gentem identidem sub *cedri* praegrans, umbrosae, et multis ramis instru-ctae schemate, ad indicandam istius populi amplitudinem et poten-tiam, aliquando *i)* introducit. Quo quidem in posteriori loco, quan-do insuper, Cedrum istam, tantam in altitudinem excreuisse addit, vt aliae Cedri, in horto Dei, eandem non exaequauerint, insimul per hortum Dei, orbem hunc habitabilem, et *Cedrorum* nomine, habitantes in ipso populos, aut gentes, potentiores, similiter, indi-gitat. Ex his vero, cum non familias tantum, sed integras quoque nationes, arboris, earundemque varias generationes ac propagines, ramorum sub simbolo olim indigitari sueuisse, abunde satis pateat, nos vero superiori paragrapho perspicue docuerimus, quod proprius et primarius vocabulorum *טמ* et *טבש* significatus *ramus arboris* sit, quin *tribubus* Israelis similitudine a ramis, deducta, istae appella-tiones deinceps accomodatae atque attributae fuerint, amplius du-bitari non poterit. Notandum interim, adhuc, esse duco, quod li-cet nomina ista tribum ex aequo designent, aliquid nihilominus in-ter ista pro radicali eorundem differentia, etiam heic intercedat di-scri-

b) c. XVII. 3. sqq.

i) c. XXXI. 3. 6.

scri-

scriminis. Scilicet מטה מטה tribum i. e. posteritatem alicuius Patriarchae per lineas, vt aiunt, collaterales tantum prognatam; שבט שבט , vicissim, solorum primogenitorum in linea recta ascendente sibi mutuo succedentium seriem atque ordinem sifit atque indigitat.

§. 8. His expeditis notionibus, nunc tandem ad significatum *baculi* et *sceptri*, nominibus istis, similiter, attributum, insimulque ad ipsam rei arcem, progredimur. De huius vero notionis causa vix solidi quidpiam a Philologis proferri comperimus. De מטה nim. plerique statuunt, ideo sic appellari *baculum*, quod *corpus humanum dum ipsi innitur, inclinat*. Addunt alii et hanc rationem, quod *homines, dum aliquid indicare velint, eundem extendere soleant*. Verum, quid de hisce rationibus habendum sit, quisque, qui paullo attentius easdem examinare volet, facile perspiciet. Ad שבט שבט autem quod spectat, de eo fere omnes silent, et per *virgam* vel *baculum* vtcunque eam vocem expressisse contenti, porro nihil adiiciunt. Suboluit tamen GVSSETIO aliquod inter שבט שבט et מטה מטה discrimen, qui vero, vtrum in crassitie, an longitudine istud situm sit, ipse ignorans, hoc saltim monet, quod nunquam homini, ubi de infirmitate corporis, propter senium, morbum aut iter sustentanda agitur, tribuatur. Verum enim vero res omnis clara euadet, si asseramus, baculos, quod ex arboribus quondam ex scindi, et rami cum primis validiores hunc in usum assumi solerent, horum idcirco retinuisse denominationem. Hoc enim supposito, differentia inter מטה מטה et שבט שבט notiones, amplius obscura esse nequit; sed quod prius nomen baculum robustum ac validum, posterius vero oblongum et superius cuspidatum, pro ramorum scil. qui iisdem notantur, qualitate ac conditione significet, intellectu procliue erit. Iam, quod *Sceptrum* speciatim concernit, altius paullo, ipsius origo repetenda est. Ramos enim arboris non temere, et fortuito, sed consilio atque grauioribus de causis, ad Imperantium Symbola olim fuisse tractos, omni plane dubio carere videtur. Aperit vero rem omnem Ezechiel, quando in vite, cuius sub schemate populum Israeliticum designari, iam ante monuimus, dicit fuisse מטות עוז לשבטי מטות עוז לשבטי *ramos validos, ad Sceptra usque dominantium*. Cum enim per ramos istos validos, nihil aliud, quam istius populi varias propages, vel tribus indigitet, שבט שבט autem nos antea primogenitorum in linea recta sibi mutuo succedentium, seriem notare ostenderimus, sceptra primogeniturae symbola olim fuisse, Vatemque id

indicare voluisse, quod istarum tribuum quaelibet adeo numerosa atque potens fuerit, ut illarum primogeniti, vel qui horum loco stabant, Reges et Principes agere potuerint, haud obscure hinc liquere arbitror. Scilicet inde a rerum principio *Primogenitos* magnam prae reliquis fratribus praerogatiuam habuisse, nemo tam expertus sacratoris antiquitatis est, qui nesciat. Eademque praerogatiua, tribus potissimum partibus, iuxta Ebraeorum traditiones, absoluebatur: Principatu nimirum, vel Dominio in Fratres; sacerdotio; et denique duplici portione, quam Primogenitus de Patria hereditate capiebat. A *Primogenitura* igitur, cum Principatus olim pependerit, Primogenitorum vero successio atque series, nulla re, commodius, quam rami maioris, in sublime per vices crescentis, sub schemate repraesentari queat, quis obsecro! Ebraeorum vocabulum שֵׁבֶט, praeter sceptrum etiam ramum oblongum et in virgulam cuspidatum, hincque primogenitorum in linea recte ascendente seriem significare, secum insuper perpendens non statim in eam ingrederetur sententiam, ut existimet, *Sceptrum* Primogeniturae symbolum quondam constituisse, ramosque arborum oblongos et in virgulam acuminatos ab iis, qui Primogeniturae iure olim imperitabant, propterea fuisse assumptos, ut iisdem eminentiam suam prae reliquis, ipsius naturae beneficio, sibi competentem testarentur? Ex his vero quemadmodum de Sceptrorum ratione symbolica sponte intelligitur, eam in eminentiae, dignitatisque, significatione potissimum sitam esse; ita et originem eorum inde ab antiquissimis temporibus, quibus Primogeniturae iura maxime adhuc vigeabant, et non nisi primogeniti rerum potiebantur, repetendam esse insimul liquet.

§. 9. Etsi vero Sceptrorum rationem Symbolicam in eminentiae maiestatisque, quae a primogenitura olim resultabat, significatione cum primis constituisse, ex ipsa illorum appellatione Ebraica שֵׁבֶט, forsan, haud praeter rem, hactenus collegerim; alia tamen adhuc eorundem notatio, ex altero ipsi synonymo vocabulo מִשְׁחָה, utpote quod de Scepro haud raro etiam usurpatur, sese prodit. Nam, quemadmodum שֵׁבֶט, ramum arboris maiorem, quatenus in sublime et in virgulam rectilineam ascendit; מִשְׁחָה vero eundem istum, quatenus in ramos aut frondes collaterales extenditur, designat; ita etiam ramus iste, in manibus Principum, summitate sua, Primogeniturae et hinc resultantis eminentiae ac dignitatis; inferiori autem

autem sui parte, quae spissior, et virgarum collateralium genitrix atque alrix est, officii Principalis notam constituebat. Hac nempe Principes significabant, se omnium praedecessorum suorum loco stare, adeoque familiarum, quae ab iis originem ducerent, hoc est, totius tribus vel gentis, Parentem veluti esse, cui proinde eandem non tantum gubernandi ius, sed et sustentandi et conseruandi officium competat. Accesserunt his notationibus temporis successu et aliae, *Sceptro*, non uti *arboris ramo*, sed tanquam *nudo baculo* attributae. Et primo quidem cum a *Pastorum* vel *opilionum* pedis, Sceptrorum figura parum discrepet, Sceptra haud raro cum iisdem conferuntur et tanquam directionis ac gubernationis instrumenta, Regibus, qui proinde *Pastorum* nomine, haud raro, veniunt, attribuuntur. Ita etiam Sceptrum, cum ictibus infligendis idoneum sit, veluti instrumentum defensionum et punitium, quo Imperantes, tum subditos ab aliorum insultibus tueri, hostesque suos profligare, tum etiam legum transgressores punire debeant, nonnunquam repraesentatur. Imo, cum figura Sceptri, recta, denique, et aequabilem in lineam extensa sit, constituitur etiam symbolum iustitiae, quae in actionibus hominum in ordinem redigendis, omnibusque ad aequalitatem reducendis occupatur, et quod summi Imperantes potissimum eidem studere debeant, indicatur.

§. 10. Caeterum, nostras hasce, de Sceptrorum origine et ratione Symbolica, meditationes, maximopere, confirmant ea, quae sub initium huius dissertationis, de Sceptris, generatim, e profanorum Scriptorum; monumentis differuimus. Scilicet IVSTINVS Sceptra veterum hastas fuisse affirmat, hoc est: *Scipiones oblongos et in acutum definentes*. Atqui talem figuram, omnino referebant, rami arborum oblongi, Primogeniturae Symbola. Deinde *Achillis, Latinique*, sceptra describuntur tanquam lignea, ac speciatim tanquam rami, ex arboribus excisi et ab artifice delibrati. Quo quid magis in rem nostram dici possit, omnino non apparet. Porro a Veteribus hastas vel Sceptra olim pro Diis cultas fuisse ex IVSTINO docuimus. Nullam vero aliam ob causam, Sceptrorum potissimum sub simbolo, Deos olim cultos fuisse existimauerim, quam quod Sceptrum, veluti primogeniturae symbolum, ipsius Primogeniti vel Imperantis personam supra sua virgula praefigurauerit. Denique cur Sacerdotes etiam Sceptra sibi vindicauerint, et gestare consueuerint, id quoque a primogenitura, cuius inter praerogatiuas, etiam ius Sacrorum continet-

tine-

tinebatur, arcessendum esse duco. Equidem haec dum profero, ignarus plane non sum, non deesse Viros doctissimos, qui Sacerdotium ante legem a Mose latam, primogenitorum proprium fuisse, inficientur, atque hanc in rem varias rationes in medium proferant, quibus contrarium euinci posse putent, verum occurrit iam tum horum obiectionibus Celeberrimus BVDDEVS, *k)* et mea quidem sententia ad easdem ita respondit, vt communior sententia, quae et vnanimi Iudaeorum, Sacerdotium Primogenitis attribuentium consensu, tum variis etiam e SS. petitis argumentis nititur, omnino adhuc triumphet.

§. II. Plura adhuc suppeterent argumenta, quibus meam hanc de Sceptrorum origine sententiam vltcrius confirmare possem. Operae etiam pretium foret, discrimen addere, quod sceptrum inter *Regia* et *Principalia* intercedat; quanquam hoc ex supra dictis, facile, nobis etiam non monentibus, aestimari possit. Cum primis vero vsus, quem noua haec de Sceptris hypothesis in explandis variis SS. locis, ac praesertim Gen. XLIX. comm. 10. praestat, ostendi deberet. Sed haec atque alia, quae praesens pagina, vltra quam legibus Academicis progredi vetitum est, non capit, commodiori occasione, *vi*, quae coarctato stylo et per summa tantum rerum capita heic tetigimus et edisseruimus, latius insimul sumus deducturi, iusta commentatione, persequenda nobis reseruamus.

k) Hist. Eccl. P. I. 389. sqq.



Col. diss. A. 21, misc. 28